


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0790
	0788
	0794
	0784
	0799
	0779
	0839
	0739
	0889
	0689
	0289
	Ende
	Anfang



217

triumphans crucem retulit, quidam a Iustiniano Augusto; quidam a quodam rege Aegypti in nomine Halachibis, i. e. Summi Dei. Et hoc verum esse veraci reperi historia fideliter conscriptum inter [Itinerar.] Antonini, P. II. Tit. XIII. Cap. IV. §. 4. Anno etiam Domini 619, post Julianum 243 annis, regnante Heraclio imperatore et rempublicam feliciter gubernante pluribus annis, finem regiminis non bene conclusit, in haeresin enim Molechitarum [Monotheletarum] lapsus est et turpiter defuncta uxore sua incestu se maculavit. Quapropter Hamor, rex Aegypti, Machometi successor, cum infinitis Arabum copiis Syriam et Palaestiam ingressus omnia de manibus Christianorum diripuit, et in isto tumultu civitas sancta Jerusalem capta ab infidelibus fuit, et populum christianum in ea sibi subegit. Cum autem moram in Jerusalem faceret, Sempronianus, episcopus Hierosolymitanus Christianorum, sibi familiaris effectus est, ita, ut cum eo ingrederetur ecclesiam sancti sepulchri ad videndum ejus ornatum. Inter collocutiones autem quaequivit Hamor ab episcopo de loco, in quo templum, quod a Tito principe Romano cum urbe dirutum fuerat. Qui duxit eum ad aream Arnan, quae jam repleta aliis aedificiis vulgaribus erat, et ostendit ei per aliqua signa vetusti operis adhuc exstantia templi Domini locum. Mandavit ergo Hamor, mundari locum areae, et sumtibus, qui ad hoc sufficere possent, designatis ad impensam artificibus templum reaedificare coepit. Et cum fundamenta jacta fuissent, mox demergebantur, nec structuram erigere poterat. De quo cum Hamor miraretur, dictum est ei a quodam divinatore, quod, quādiu crux alta, quae in monte Oliveti ex opposito erat, ibi staret, structura non teneret, ea autem remota templum perstaret. Siquidem Christiani in monte Oliveti altam crucem e regione civitatis exerant, sub qua crebrius orabant, quorum orationes adeo efficaces erant in virtute crucis, ut infideles nequaquam possent suae perfidiae templum erigere, nisi cruce remota et orationibus cessantibus. Et si Christiani tantae virtutis essent, quod illam crucem a paganis conservassent, numquam templum hoc erectum fuisse; puto enim hanc crucem a sanctis positam in signum protectionis civitatis Jerusalem, ne in ea templo alieni cultus erigerentur. Audenter enim dico, quod